

## ENCOMIUM

Cerevisiae Rostochiensis,

LUPULI,<sup>ac</sup>Ut singularis ac eximii Doni, ad utilitatem  
ac sanitatem Homini à Deo

concessi;

Cujus cum anno Domini M. DC. XLII. tanta fuisse  
raritas accaritas, ut illius modius quinqu, imò sex florenu quibusdam in locu fu-  
erit venditus; Anno subsequenti M. DC. XLIH. tanta copia provénit in  
Megapoli & alibi, ut hominum memoria vix  
majori:

## IN REI MEMORIAM

scriptum,

ac

## URBI ROSTOCHIENSI,

BIBLIOTHECA  
PONICIA VIENNAE  
ac ejus incolis omnibus ac singulis, tam maxi-  
mis quam minimis inscriptum,  
& ad excitandam in eis gratitudinem  
commendatum

M. JOHANNE STEINIO, Rost. Past. Nic.

Anno

c I o I o c X L I I .

ROSTOCHI, Typis JOHANNIS RICHELII, Senat. Typogr.

(X190 4453)

# URBI ROSTOCHIENSI

Patriæ suæ dilectissimæ, ac omnibus ejus  
incolis, tām MAGISTRATIBUS  
quām SUBDITIS,

Patronis, Fautoribus, ac Amicis  
suis honorandū.

PACEM ac PROSPERITATEM.

Cur non commendem LUPULUM, tām nobile munus?  
Cœlitùs à Domino quod modò cerno datum?  
Qui non accepto præbet se munere gratum,  
Illijs pœnis non erit absq; Domus.  
Quod quia novisti mecum, mea cura RHODANTHE,  
Cur non hic mecum sis quoq; grata DEO?

Author.

## Jahrzall der Ungnade vnd Gnade Gottes Im Hopffen verspiet.

Nach der Geburt Christi Ein tausent vnd sechs hundert  
Auch drey vnd vierzig Jahr/ hat man sich hoch verwundert/  
Dass da ein Scheffel Hopff bey nah sechs Gulden galt/  
Er wieder kommen ist auff einen Gulden halb.  
Das ist durch Gottes Gnad vnd Güttigkeit geschehen/  
Der vns in Hopffen Noch auch gnädig angesehen/  
Thut leiten vns zur Busch durch solche Güttigkeit/  
Ach! thut doch wahre Busch auff solche Freundlichkeit.

S. Paulus zum Römern am andern.  
Weisst du nicht/ dass dich Gottes Güte zur Busse leite?

Effigies trium florū Lupuli, hoc anno in hortō nostro  
natorum, cum duobus foliis adjustam singulorū  
magnitudinem depictorū.



**Q**uam miranda Dei bonitas, quam tardus ad irā  
In meritos aliter nos sit, id inde patet,  
Quod sinit ille suum Titana nitescere cunctis,  
*Matt. 5, 44* Sive sit ille bonus, sive sit ille malus;  
Atq; super reprobi faciat descendere Campum  
Irriguam pluviam, non secus atq; probi:  
*An. 1643.* Ut satis experti sumus hoc currente sub anno,  
Ad nos quo frugum copia tanta fluit,  
Ut vix optari potuisset major ab ipso,  
Quandoquidem scimus nos meruisse parum.  
Nonne stetit gravidis circumstipatus aristis,  
Et varii generis farre repletus ager?  
An non quadrifidis tumuerunt optima spicas  
Tritica, sub glumis atq; secale suis?  
Nonne legumineum far luxuriavit in agris  
Cum Vitis Ervum, Lens, Faba, Pisa, Cicer?  
Hordea quin etiam tenuerunt regna sub arvis,  
Ac, alias sterilis cum sit, Avena sat is,  
Quiq; venit Lupulus jam nunc super astra ferend?  
Luxurians foliis floribus atq; suis,  
Dum viti similis nostris succrescit in hortis,  
*Vel amat  
binc dici  
tar lupul  
salicaria* Ac salices illimi prorsus ad instar habet;  
Gustatuq; quidem flores producit amaros,  
Qui tamen excocti, commoda, farre, ferunt,  
Si macerata probè tibi sumseris hordea ponto,  
Tostaq; Vulcano fregeris ista mola;  
Indeq; confectam Pollentam immiseris alvēo,  
Pleno congerie fervidioris aquæ;  
Postea cum lupulo benè juscula coxeris istinc  
Extracta, ac fæces demseris inde leves:  
Namq;

Namq; salutaris coquitur sic Zythus in oris  
His, bibimus vitreas nec velut anser aquas:  
Possemusq; mero, yiniq; liquore carere,  
Pellere si saltem cura, bibendo sitim.  
Næ ingens donum Domini, rerumq; Satoris,  
Qui dedit hoc Homini, quò frueretur eo;  
Non secus ac pedibus subjicit condita cuncta  
Illijs, ut primū conditus orbis erat;  
Atq; salutares Hominis conservat in Uſus  
Omnia naturæ farta vigore suæ.  
Is dedit imprimis Germanis crescere terris  
Hanc fruticum speciem, cum quoq; servat eam,  
Ac concedit ei vim corpora nostra fovendi,  
Cum fuerit coctus farre, calore suo.  
Præ reliquis verò dedit his regionibus illud,  
Ac HORTIS ROSEIS, ut speciale bonum,  
Zythus ut heic reliquis generosior inde coquatur,  
Exhilaret Juvenes qui simul atq; Senes;  
Qui vires animis addat; corroboret artus;  
Ac formosa sua corpora reddat ope.  
Sint Pelusiaci non commoda pocula Zythi,  
Zythus hic est alius; noxius humor abest,  
Scilicet extractus maceratis frugibus igne,  
Nec non ex cocta perbenè cerevisia:  
Hinc nihil aut nervis, cerebrovè quid officit, ultra  
Ni forsitan justum sumferis huncce modum;  
Quod docuit nostris ipsa Experientia in oris,  
Urbs satis applausu quin quoq; nostra probat,  
Ut Cererem Lupulo qui coxit primus in Urbe  
Hac, rear iratum non habuisse Deum,

ex sententia  
Dn. Joh.  
Placotomi  
Prof. Med.  
Regiomon.

U: Eobang

Cum Hessus pu:

rat in libr. Cum dederit populis versantibus hisce sub oris  
de tuenda Potum, qui vini possit habere vicem,  
Val. Dum quoq; calfactet nativo nostra calore  
Corpora vi Lupuli, vi quoq; farris alat;  
Hinc Ho. Quo præstat vino, quod cum siet acrius, urit,  
merus di. Pingueq; consumit, membraq; macra facit:  
xit aib. Cum potius nostrâ cœquitur qui Zythus in Urbe,  
πα αινον. Efficiat succo pingua membra suo.  
Inde loco vini fit ut hunc bibat accola Varni,  
Dignus & ut precio fit satis ille suo:  
Ac ut per Balten ad Regna propinqua vehatur,  
Atq; sub Arctois Oppida si qua plagis:  
Ac in deliciis habeatur Regibus, atq;  
Præcipuis aliis nobilitate viris:  
Eneid. TEUTONICUMq; Danis OLEUM dicatur, & illis  
Omnibus in precio, quos videt Ursa, siet.  
Næ ingens donum Domini, rerumq; Satoris,  
Qui dedit hoc Homini quo frucretur eo.  
Cale. Quo, quia cum Belgis, Anglis, Gallisq; fruuntur  
pino. Teutones, imprimis hæc Mega-nostra-Polis,  
Et tu Cervisiam Lupulo cum farre coacto,  
Ignibus ac cocto, quæ facis egregiam,  
OMegales poleos quondam Ditionis Ocelle  
ROSTOCHIUM! tanto clara sat una bono;  
Fas esset gratis animis agnoscere tantum,  
Laudibus ac meritis hoc celebrare bonum:  
Illi ac usu moderato assuescere, magni  
Semper & hoc ipsum munus habere Dei.  
Ast age quid factum? quæris: Sunt munera luxu  
Qui consumserunt hactenus illa Dci,

Quæsis

Queis pulchrum potu cessatum ducere curam,  
Ac pergræcari nocte dieq; fuit;  
Scilicet abjectis studiis melioribus, æquo  
In cuncte curanda plus operata tribus,  
Ebria quæ Zytho menfas baptizat eodem,  
Inq; pavimentis hæc, pede, dona terit;  
Sana mente carens; superans feritate Leones;  
Ac clamore boves; spurcitieq; Sues.  
Qui numerus tantum sunt ac consumere potum  
Nati, quos tellus non nisi pondus habet.  
Nec minus inventi quidam, qui munera parvi  
Fecerunt Lupulum tam preciosa Dei.  
Quod satis atq; super dedit Experientia testis,  
Quando superfluitas ejus in Urbe fuit;  
Insuper ac aliis importaretur ab oris,  
Ac satias hujus cæperit esse rei.  
Hinc factum pretium cum Venditor illius æquum  
Posceret, Emptor cum risibus exciperet,  
Nec dignaretur Lupulum vel nomine tali,  
Ast alio, precii vix alicuius habens.  
Quod novi lacrymas Viduæ expressisse misellæ,  
Pauperior Lupulum vendere cum voluit,  
Nec justo precio venundare posset cundem,  
Imò contemni talia dona videt.  
Hinc propter luxum Nemesis divina sequuta est,  
Contemtum Lupuli pressit & ira Dei.  
Hortos dum nostros, quos facundare solebat,  
Frigore tam sterili concutit atq; Noto;  
Illorumq; decus perdit, dictoq; decorem  
Consuetum frutici floris abesse facit;

Ut

Ut lupuli quicquid corradier undiq; posset,  
Veniret preciis intolerabilibus:  
Nec vix illius tantum superesset ubivis,  
Ad Zythum posset quod satis esse bonum.  
Ecce tibi secum quos fructus ille bonorum  
Contemptus Domini, Luxuriesq; ferat.  
Concitat irarum fluctus in corde Jehovæ,  
Rursus ut amoveat, quod fuit ante datum:  
Ut benè jam nosti, cum sis excepta, Rhodanthe,  
Propterea pœnis, idq; dolenter habes.  
Ast agc mærorem cohibe, post nubila Phœbus  
Nuuc oriens clarum dicit ab axe jubar.  
Nam viden? in mediis irarum fluctibus iram  
Compescit Dominus, constituitq; modum,  
Atq; super nostros facies illuminat hortos,  
Ac in eis Lupulum luxuriare facit,  
Luxuriare facit foliis ac floribus illum  
In tantum, quantum vix meminisse queam,  
Gratia magna tibi rerum Pater optime, tanta  
Nunc sit & in seculum pro bonitate tua.  
Fac agnoscamus tua quod det dextera sola  
Quicquid in hoc nobis suppetit orbe boni:  
Ac gratos animis nos exhibeamus & ore,  
Quin etiam factis, ad tua jussa, piis.

Ter Omn dominus.



1713

Q.K.360,14.

